



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ulrichi Hutteni Equitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

Qvod Ab Illa Anti Qvitus Germanorum Claritudine nondu[m] degenerarint
nostrates, Vlri. ab Huttem, Eq. Ger. Heroicum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13027

HUTTENI.

Abstinuit uetito, κῆ ἀλιεναῖο κῆρα μέλαιναν.
 Tum uero iratus, postquam tot uiderat annos
 Crimina ranarum, & Venetæ incrementa paludis
 Iuppiter, hac Aquilam, qua despicit omnia ab arce,
 Demittit, ranisque super non mollia iussa
 Imperat, ut ficto sacra derogat omnia Marco.
 Et doceat non esse deum, raptorq; ferocem
 Exuat, & spolijs, palantesq; equore Ranas,
 Arceat Adriaco, pelagoque reuergat auito.
 Huic dicto concessit, ἐπι μὲγα οἱ σθένος κῆρ,
 Et rostrum, & laceros acuens Iouis armiger unguis.
 Ἐπειτο δ' ἐπὶ προθῆσθαι βατραχῶν γένος αἰχμη-
 Utq; in uindictâ dispersum colligat hoste. (τάων)
 Fertur ab Alpino, ἐνναίεσθαι βατραχῶν Βλεμεαί-
 In Venetos speculata iugo, quo uix bñ uiso. (νωμ)
 Rana fugax, ὄχθασι βαθείαις ἐμπροσφύγων.
 Abijciens sceptrum, & torui simulacra Leonis,
 Regnorumque omnes curas, ueniamque precando,
 Adflexa est Aquilæ genibus, quam cum illa negaret,
 Ἀχρησὸν μετάνοιαν ἐμῆμερο πολλὰ δ' ἀκρόων.
 Diffidensque sibi, auxilioque exuta suorum. (κῆ)
 Δεινὰ δ' ἐπὶ ἐσονάχιζε, φόβου κρυοέντος ἀνάγ.
 Extremum turbata, μόρον δ' οὐκ ἦν ὑπαλύξαι.

QVOD AB ILLA ANTI

QVITVS GERMANORVM CLARI

tudine nondū degenerarint nostrates, Viri, ab

Huttem, Eq. Ger. Heroicum.

DE NON DEGENERI

Rhenigenas populos, & robustissima mundi
 Pectora, quisquis auis, atq; à uirtute priora
 Degenerasse putas, non æquo remq; diesq;
 Arbitrio pendis, liceat cum tempore prisco
 Presentem conferre statum. Non semper in armis
 Esse licet, mollem non semper amare quietem,
 Alternas iuuat ire uices, belloq; remissos
 Tuta quies animos, paxq; interposta resoluunt,
 Nec tu crede deos ita nos intendere contra,
 Ut rerum inuideant summam, & fastigia nolint.
 Germanos, orbisque caput, molemq; tenere.
 Tunc cum tempus erat, gerere arma, & cogere gætes
 Expugnare urbes, regumq; infringere fastas,
 Fecimus egregie, motisque indulsimus armis,
 Nunc placidas artes, pacemq; admittere curis
 Est opus, atq; animos tranquillū aduertere in usum.
 Dum Sophiæ fruges, cultumq; & quassibet artes,
 Post tot gesta uirum noster quoq; calleat orbis,
 Ergo adit Italiæ quisq; loca, ut adferat inde
 Ingenij cultum, & Latine commercia lingue,
 Græcorumq; artes, nimirum illa ampla parentum
 Cum satis eniteat gestarum gloria rerum.
 Nec minus hoc ducibus curæ est, dāt præmia doctis
 Passim, Academias statuunt, & honoribus augent
 Altiloquos uates, ac Musica sacra professos.
 Ingenijsque fauent mansueta fruge colendis.
 Sunt tamen interea, si qua intercesserit illis
 Causa recens studijs, qui prisca negocia tractent,

Iamq;

Iamq; iterum fines Italorum, & Martia regna
 Caesar adit, motoque animo sese obtulit armis,
 Ut Venetum luxus, uanamq; ubi presserit iram,
 Ostendat, pacem qui admiserit, arma proe ossas
 Non etiam timuisse minas, potuisse in uirumq;
 Esse animo constante uicem, iam discimus artes,
 Scribimus, & seruum nos commendamus in euum,
 Famaq; compertum est, quaneum res adiuuet istas,
 Quae cum cura leuis nostris maioribus esse,
 Acta ducum tacuit, nec quid Germania rerum
 Egerit, inuictaq; manu quas cepit urbes,
 Quos dederit leto reges, & uicerit hostes,
 Scire datur. Neq; enim scriptis calamoq; uocabant
 Uttiliora armis corda, & praestantibus actis.
 Maluit illa aetas, quam scribere, uictis armis.
 Adereque insigne is, quod scriberet altera, pugnas.
 Quod si nostra forent uicturis gesta libellis
 Scripta uelut Latiae, uelut ampla uolamina Grae
 Cernimus historiae, non tantum haec ultima scirent
 Secula, Teutonicas Alpino in uertice pugnas.
 Cymborumque manus, & quas tum foemina strages
 Miscuerit, fractumque dolis non uiribus hostem,
 Ter uictasque acies Italas, orbisque retusum
 Ingem i terrore caput, Romanque timentem,
 Feralemque urbis planctum, quae castra cohortes
 Syllani dederint, quas Caepio senserit iras.
 Utque fuga turpi patrias repetiuerit arces
 Manlius, attriteque desperatio Romae.

DE NON DEGENERI

Quale Dioneo confectum à Cesare bellum,
 Quae uixdum uisi fuerit uictoria Rheni,
 Memitaque fugae, & cepti solatia pomis,
 Vindice ut Arminio celeris prope rura Visurgis,
 Romanas acies miro Germana motu
 Quintiliumque ducem conciderit, unde birostrae
 Contigerint Aquilae, traducti insignis regni,
 Excussumque iugū, non tantum haec tēpora nossent,
 Quo tunc Roma metu nostrorum expanerit iras,
 Praemia quae belli, nec non qua laude Cherusci,
 Re bene tunc gesta tulerint, & gloria quae sit
 Ereptum imperium, compressa superbia fastus
 Italici, pulsūque nefas, ut libera tandem
 Teutona gens falsos posset ridere triumphos,
 Quos egit Caligae notus cognomine Caesar,
 Tunc, ubi se rutulis aequabant nigra capillis
 Tempora, & Ausonijs stridebant barbara linguis
 Murmura, ubi currus simulata trophoea pudendū
 Ponē sequebantur, fingentemque ista praebat
 Plebs sua uictorem, Germanum imitata susurrum,
 Non haec clarorum praeter tot millia patrum
 Cognita facta forent, sciremus ut ordine gesta,
 Et quae bella sient, nec gens tantum ulla loquacis
 Scriberet historiae. Nunc cum facere inclyta nobis
 Scribere fors alijs dederit, Germania tantas
 Perdiderit pugnas, & quae clarissima quondam
 Confecit, lateant, obscura in nube feratur,
 Quae patribus uirtus fuit, aut quae gloria, Nemo

Caligula
notat.

Pofa

GERMANIA.

Possit ab antiquo Germanam extendere laudem,
 Attigerint nullos ueterum monumenta nepotes,
 Idque errore patrum. Nos quo ne obliuio nostri
 Temporis obscuret, si quid memorabile gestum est,
 Scribere tentemus, cultumque inhiemus ad istum,
 Utque hac esse olim possimus laude superbi,
 Bella remittamus, quantumque à Marte licebit,
 Ocia Musarum, & placidas uigilemus ad artes,
 Ut non sit mirum, si segnius arma feramus,
 Nec ferimus segnes, quia iam prudentia maior.
 At furor est leuior, nec qui nos prouocet hostis.
 Contigit his armis, si quis uolet, inferat ultero
 His bellum populis, requiem tenetque supinam,
 Sentiet ultrices in se concurrere uires,
 Comperietque hãc nos pacem formasse, rudesque
 Erudisse animos, studioque acuisse sequestro.
 Sentiet horribiles non frustra exire Sueuos,
 Atq; etiam lingua Francos uerbisque timendos,
 Terribiles equitum turmas, & fulmina belli,
 Vindelicasque Aquilas, atq; ebrietate feroces
 Saxonie populos, nec egentem uiribus Hessum,
 Et nunquam domitum Rhenum, totisque petitum,
 Et medias gentes, quarum nunc gloria maior,
 Quam fuit illa uetus, cui si quem temporis huius
 Pœnituit, fortisque suæ, præconia laudum
 Attribuit meliore loco, præsentia sordent,
 Dura quibus Fortuna uenit, cui prospera non sunt
 Tempora, Felices primos uocat, ultima damnat.

Si

DE NON DEGENERI

Si sumus imbelles, priscaſque amiſimus artes,
 Cur non noſtra uenit Romani irrumperere Gallus
 Emulus imperij? cur non ſeſe Itala tellus
 Eripit his titulis, nobiſque ſubefſe recuſat?
 Cur non cuncta petens animo Mahumeticus hoſtis
 Audet in haſ uires? Certe haud hoc tēpore quiſquā
 Bella gerit, qui non noſtris ſe uiribus armet,
 Nos Aſiae reges, Tanaiſque ferocia regna,
 Et fera Turcarum manus, Aſyriaque tyranni,
 Sarmata nos, Parthique legunt, nos Perſia diues
 Ante aciem ſtatuit, nos ultima regna ſequendis
 Affectant caſtris, nos ultimus appetit orbis,
 Nos penes eſt ſtadium armorū, nos iſta docemus,
 Nos facimus, per nos alij faciuntque ſciuntque,
 Indicunt alij, iurantque in bella uiciſſim.
 Nos gerimus, uincit Germano milite quiſquis
 Bella gerit, noſtra eſt hęc gloria, ſolaq; noſtra eſt.
 Quid dicam mores ita nulla in gente pudicos?
 Quinquā aliquas dederint, quōd noſtras polluit ura
 Molliculi labes Itali, quinquā improba Roma (bes
 Venerit in ritus, ſpurciſq; infeccerit iſtud
 Acre libidinibus, caſtum corruperit omne
 Roma, ſacerdotum luxus, uitamq; ſupinam
 Pontificū, nō tam ipſa ſerens, quam ſemine ſparſo
 Gentibus immittens, quid dicam, at in urbibus ipſis
 Tot ueniant cultus, tot opes, tam ſplendida cuncta,
 Vt nulli nobis auſint certare priores?
 Nos etiam argentum, nos nobile mittimus aurum,

Nos

GERMANIA.

Nos legimus gemmas, et succina prisca recenti
 Spernumus inuento, tanta est industria, tantum
 Creuimus ingenijs, et adhuc quis fingit ab horum
 Degenerasse patrum uirtute, illustribus actis,
 Cum uideat cultusq; nouos, positiq; uetustam
 Barbariem uotis odisse, hæc tempora uotis
 Omnibus amplecti. Nam quæ non aspera quondam
 Dicta magis tellus alia est, nunc omnia gignit,
 Vina etiam, pulchrumque crocum, uestesq; superbas
 Velleraq; et fruges confertim, atq; omne metallum.
 Præterea (ut fingis) donec desedimus isto
 In torpore pigri, dumque has tractauimus artes,
 Hac in seguitie, interea quædam egimus omni
 Ingenio ueterum maiora, ac laude parentum.
 Obijce desidiam, torporem et molle quietum,
 Obijce liuor edax: nos quædam inuenimus artes,
 Quarum nulla satis laudem celebrauerit ætas,
 Nam quæ sidereas uocalis machina turris
 Deijcit, ac solidas impulsu concutit arces,
 Mœniaque et spissos aggesto pondere: muros
 Equat, sternitque domus, et destruit urbes,
 Prodiit à nobis. Nos primi excudimus ære,
 Et sculptis mansura uotis, tot secla, tot annos,
 Omne genus scripti Vatum, æternosque labores,
 Quæque diu nemo perituris scribere chartis
 Posset, et in multas ita passim spargere gentes,
 Per nos una dies in mille uolumina profert,
 Quod tantum est, ut si cunctas perpenderis artes,

Itala

EPISTOLA

Itala quae acies, Latiumque exercet aduenero,
Inuenias omnes hac utilitate minores.
Nunc quisquam innumeros etiam de paupere turba,
Exiguo parat ere libros, et munere nostro
Consequitur decus ingenij, paruoque labore
Omnia uel per se (quae longo addisceret usu,
Et uigili cura, somnoque carentibus horis)
Imbibit, hoc tantum est, ut quod nunc omnia plenis
Sunt congesta libris, ut quod nunc oppida doctos
Cuncta uiros referunt, quod nulla ita barbara tellus,
Quin aurum colat, et foecundis artibus ornet,
Solis deberi nobis, nemo neget usquam.
Esse rudes igitur quisquam nos dicat, et istam
Segniter aetatem duci, uel in oecia lapsos.
Dum sinat hanc nobis, ubi ademerit omnia, laudem,

EPISTOLA ITALIAE,

AD MAXIMILIANVM CAESAREM,
rem, Vlr. ab Hut. Eq. Ger. Autore.

ITALIA Maximiliano Principi.

Qua, si quando dabis, gaudebit et ipsa, salute
Accipis afflicta Caesar ab Italia,
Fama erat antiquo tua castra mouere Tridento,
Et iuga Rhoetorum, milite plena tuo.
Exilui, molita nouos de more triumphos,
Iamque adeo me cura hoc dulce sonabat lo.

Gum